1474a

+

Ea quæ Jacobus Fayus Despesseus Consiliarius Christianis: simi et Serenissimi Galliarum et Poloniæ regis, ab eius sacra Maiestate ad inclytos ordines, tam regni Poloniæ quam magni ducatus Lythuaniæ Missus exponit Rdissimis: Illustribus, Magnificis, et Generosis Dominis Senatoribus et Nobilibus M. D. Lythuaniæ

Etsi ex lris quas tam ad Regni Poloniæ, quam ad huius Magni Ducatus Ordines coniunctim Christianissimus et Serenissimus Rex noster misit per me, et ex eo scripto quod cum Warschauiensibus Comitiis in tempore, vt spes fuerat adesse non potuissem Rdissimo dno Archiepiscopo tradidi, vt de more maiorum vobis oibus communicaret satis intelligere potueritis Rdissimi Illustres Magnifici ac Generosi Dni: quæ sit sacræ illius Maiestatis erga vos mens, quis animus, quod consilium, quæ denique legationis meæ causa, tamen quod mihi è Gallia discedenti Sacra eius Maiestas præceperat, vt si vos aut vestrum aliquos in Comitiis Warschauiensibus non offenderem ad has regiones venirem, vobisque etiam Legationem meam exponerem, lubentissimè iniunctum mihi in hac parte munus impleo. Salutat igitur vos Christianissima et Serenissima eius Maiestas, et tanquam optimis ac fidelissimis subditis prospera quæque et felicia cupit et optat. Significat se post longam illam et difficilem peregrinationem, cui non nisi maxima necessitate vrgente, propter regni Galliæ salutem, et huius maximam vtilitatem se commiserat, tandem Deo ducente Regno illi suo saluum et incolumem redditum esse. Ibi se cum aliquandiu frustra à vobis responsum ad lras, quas è via non vnas sed plures miserat, expectasset, tandem vt aliquo modo mentem erga se vram cognosceret, me huc legasse, idque eo celerius et promptius, quod audiuisset Warschauiæ vos breui conuentionem habituros, eo tantum aio (sic enim interpretabatur) non vt de Repub: vestra ordinanda aliquid statueretis, hoc n: sine autoritate sua fieri no posse, sed vt aliquos ad se delegaretis, qui ad lras suas, ac nuntios responsum darent. Et quæ vobis pro salute huius Reip. necessaria vobis viderentur, significarent, vt ille ea pro viribus statim procuraret, et qm audiuerat multos esse in vobis, præsertim exteros, et maleuolos, qui varios de Maiestatis suæ erga vos animo, rumores spargebant, eo spectantes, vt vestrum à se animum omnino alienarent, et persuaderent quam plurimis id esse eius consilium, vt Regnũ quidem Gallicum, summa cura præsens administret, hoc verò sine cura, absens retineat, quæ oia, et ab eius mente, quam alienissima, et tam dignitati suæ, quã saluti vestræ sint pniciosissima iussit me vobis hac in re voluntatem suam apertissimè significare. Dicit igr se à Deo Opt. Max. cuius in manu regna sunt, ad vtrumque regnum vocatum, consecratum, Coronatum, no passurum, vt vlla rone, tanta beneficia diuini numinis beneficia contempsisse dici possit, vt culpa sua regnũ hoc amittat nunque committet. Dabit enim operam, vt quæcunque à principe Opt. et vestri amantissimo expectare potestis ea omnia à [illegible] vis [illegible]

Dabit n. opam vt cognoscatis si antea minus vtilitates vras, tam publicas
quam priuatas aduiuisse in dandis beneficiis vobis fortasse no parum praestitit
ostendisse si denique tantae beneuolentiae, quam in electione sua maxima erga se os-
tendistis, respondere pro meritis nondum potuit, ad eam rem non tam animum sibi
quam vires facultatesque defuisse nunc vero facultatibus summis auctum curaturum, quan-
tum poterit, vt cognoscatis regni tanti accessionem non sui ornandi, quam vestri
iuuandi et augendi gratia a Deo Opt. Max. sibi euenisse. cum nulli dubitan-
dum sit, quin tot et tantorum populorum imo totius Christiani orbis, potius quam
sui ipsius rationem hac in parte Deus habuerit, Petit igitur ne tanti diuini
numinis erga vos beneficia contemnatis, imo quae res deterior esset, in vram
perniciem conuertatis, quod sine dubio factum iri, nemo est qui no videat
Si quod Deus no sine prouidentia fecit, vt istae duae Coronae simul co-
iungerentur, vos illud initium nouo et insolito more facto extenderetis. sed
quod aliqui discessui suo culpae tribuant, dicantque regnum hoc ab eo retineri
no posse nisi in regno cum perpetuo futurus sit no sine hac probat. Primum
n. ea conditione no est sibi delatum, quin potius contrarium in parisiensi
parlamento praesentibus legatis vris sit stipulatum. Deinde si ex iure commun
et aliorum regnorum consuetudine iudicandum est, nulla vnquam regna inuenta
esse, a quibus necessitate exigente reges aliquando non affuerint, imo et
ipsum regnum vrm saepissime contigisse, cum reges vri in Vngaria aut
alibi abessent, quibus casibus variis modis administrata fuisse Remp
vestram ex his colligimus. Quod vos in ea conditione esse aliquando vt
no possitis vel absentiam, vel minimum quandam tempus de se durare, no etiam
animo censet R. S. M. Nam si quid pacem et securitatem vestram
ab exteris hostibus spectetis, ea in parte accessione regni Gallici melioris vos
conditionis esse certo sibi persuadet. Si n. hostium incursiones leues timetis, facilius
quam antea pot. praesidiariis militibus vestris alendis
aliquid erogari, si numerosum aliquem exercitum potentissimi hostis, pot
et summopere cupit ad eum propellendum, vires et Gallicas, et vras con-
iungere, accedat, quod vnitis in posterum et coniunctis duob. tam poten-
tib. regnis no dubitandum est, quin a vicinorum impetu, securiores si-
tis futuri, quam antea, tum quod ex iis alii quidem a regib. Chri-
stianissimis violandis, sanctiss. semper abstinuerunt et foedus semel
illis oblatum, summa cum religione coluerunt, et colunt. Alii vero nisi
a vobis vltro lacessiti, no temere ausuri sint, in se duo, tam potentia
regna commouere, experti iam quantum a solis vobis timendum sit. quod ad
iudicia attinet, existimat aliquos modos consilio prudentissimorum hominum,
qui apud vos sunt cogitari posse, quibus in ea parte, et quieti, et saluti
publicae prospici possit. Nulla sunt fere, imo nulla prorsus in toto Christiano
orbe regna, in quib. a rege solo omnes Regni controuersias iudicentur
Solent principes impediri bellis gerendis, et reb. maximis obeundis
iudicia aut iuris peritis delegant, aut magnis et primis viris, quos

vel ipsi eligunt, vel subditis eligendos permittunt. Potestis igitur tantisper
dum aberit, quod quam minimum poterit erit, exemplo aliorum regnorum ali-
quas etiam iudiciorum formas constituere, et ita regis absentiam per aliquod
tempus tolerare. Quod sit inconsultis vobis discesserit, no ideo argumen-
tum esse istud, pro derelicto abeo haberi, nec enim ignotum esse vobis,
quanta pericula toti Galliae, imo etiam dignitati suae post mortem piae
memoriae Caroli fratris sui imminerent, quae nisi subito et repentino
aduentu suo in Galliam auersa forent, maximum incendium essent paritura,
quod postea non nisi suis et vris, quam maximis incommodis viribus potui-
sset extingui. se quod prudens, et bonus princeps facere debuit, ea in
re fecisse. Ne enim vos et Remp. vram, propter se aliquid laboris
contingeret, solum se laborem suscepisse, solum se neglecta valetudine, Ma-
iestate, securitate in periculosae vitae discrimen obiecisse, vt eo facto
no magis sibi quam Galliae, non Galliae magis quam vobis, no denique
magis vobis, quam toti Christiano orbi subuenirent. Siquidem hoc ita
habendum est, accessione tanti regni, aliquid securitati et vtilitati vrae
adiectum esse. Quo pacto enim in nauigatione Naruica impedienda vos
iuuaret, nisi e Gallia haberet, vnde classem instrueret, quomodo portum ve-
stris nauibus idoneum in Gallia statueret, si cum Gallia tota portus omnes
amisisset. Quo tandem modo studiosos et alios nobiles in Gallia educare,
manum militarem ad auxilium vrum, cum opus erat euocare, pecunia de-
nique vos iuuare posset, si amissa Gallia, aut certe in discrimine vocata ciu-
ilia affligerentur. Dicunt autem no debuisse eum sine consilio vro disce-
dere, quasi vero tam cito potuissetis conuenire, vt no interea occasionem rei
feliciter gerendae amisisset. Praeterea quo certus esse potest vos in eo
dimittendo, omnes fuisse consensuros, et nisi cum bona vra gratia discessisset,
peiore loco res constitutae fuissent, quam nunc sunt. In ea tempore quis
est qui culpam eius et negligentiam accusare possit, nisi eorum vocatis
necessitatem ipsam et Dei Opt. Max. voluntatem, cui prudentissimus
et pius amantissimus Princeps se accomodauit. Pro tanta vero
pietate, Deus eius audaces, et intrepidos conatus ita promouit, vt sola
eius aduentus fama, quaecumque grauiores procellae Galliam minabantur
et iam fere constrictam tenebant dissipatae sint, quaecumque vero leuiores
et etiam ante mortem piae memoriae fratris sui Caroli iam incumbe-
bant, ea quoque ex magna parte depulsae sint, et breue paucos dies
omnino disiectum iri sperantur. Interea igitur dum Galliae pace prae-
rans vras etiam vtilitates promouere se arbitratur, nec tamen adhuc
compertum habere pot. quorsum ea quae pio et prudenti consilio
molitur, casura sint, rogat vos vt boni consulatis si non dum certo
reditus ad vos sui diem constituere possit, pollicetur autem da-
turum se pro viribus operam, vt ante paucos dies id constituat. In-
terim vero quia iudicia silent, defensio regni affecta sit multa deni

in summa perturbatione sunt. Petit a vobis. ut prima quaque die au:
ctoritate sua intercedente Comitia magna cogantur. in iis maturè deli:
beretis de modis omnibus, quibus tantisper dum aberit, paci vrae. tam
internae quam externae. ita prospici possit. ne quid detrimenti respub:
propter eius absentiam patiatur. Si quidquid vos pro utilitate Reip.
communi consensu prospexeritis libentissime approbaturum, quin etiam quod
ex sua parte implendum erit. statim pro virib. impleturum. Haec
sunt mandata Christianissimi, et Serenissimi Regis nostri, ad vos in
iis si nihil contra leges vras. contra utilitates con libertates
denique vestrorum regnorum et gentium mores ac ritus continetur,
petit a vobis, ut Principi fortissimo, prudentissimo, et clementiss:
vestri amantissimo, divinitus vobis oblato, liberè electo, Coronato,
cuique sacramenta vra ita obstrinxistis ut eorum vinculum solus
Deus dissolvere possit, De vobis omnibus benè merito. [illegible] in
posterum vos magis ac magis sibi devincire studet, Cuiusmodi respon:
sum detis; quod illi gratissimum, vobis saluberrimum, ab hostium
denique vestrorum consilio sit alienissimo. Ne si aliter (quod
Deus avertat) adversis prea vra. factis urgentibus faciatis.
Res ea prorsus noua et inaudita. et illi dolorem offensionem et [illegible]
gravem erga vos indignationem, et cunctis hominib. verum vestri re:
prehensionem, et vobis perniciem, et hostibus vris gaudium, et
denique reliquis Christianis laborem sit allatura.